

# CL · PTOLEMÆI

ALEXANDRINI ASTRONOMORVM PRINCIPIS IN  
Magnam Constructionem, Georgij Purbachij, & Ioannis de Regio  
monte, demonstrationes.

VNIVERSALIS ambitus totius terre ad totum cœlum cōsiderationes, quæ necessario præsupponendæ erant præmittit, Theorematum quoque, quæ ad sphæricas demonstrationes præmittuntur enarrat,  
Chordarum atq; & arcuum tradit doctrinam. Ascensiones demū rectè sphæræ  
inuestigat. Liber primus.

Ptolemæi autem ad literam exprimere libuit præfationem, tum propter crebras in easententias scitudo  
gnissimas, tum propter autoritatem Ptolemæi, quo etiam imitatio nostra  
fidelior redderetur.

## PRÆFATIO

**R**ECTE profecto meo iudicio nobiliores Philosophi scire distinxerūt inter Theoricā philosophiæ & Practicā partē. Nā & si ipsi practicæ accidat prius theoretam esse, nihilominus multum inter eas interest, non solum quoniam aliquas moralium uirtutum uidemus posse inesse aliquibus etiam absq; disciplina, speculacionem uero uniuersi impossibile esse absque disciplina adipisci. Sed eo maximè, quod ibi quidem tota utilias ex frequenti circa ipsas res operatione, hic autem ex speculatione aduenit. Quare nos etiam putauimus dicere, operationes quidem nostras dirigere secundum cōsiderationes eorum, quæ apparent, ut neq; nimis deuiemus ab optimâ & ordinata uniuersi dispositione, maiorem uero otij partem circa speculations, quæ multæ uenusteq; sunt adhibere. Etenim ipsam speculationem Aristoteles decēter certe in tria prima genera diuidit, naturale, scilicet, mathematicum, & theologicum. Cum enim omnia entia ex materia & forma & mo-

tu consistant, quorum unumquodquæ uideri quidem seorsum non potest sed solum intelligi absque ceteris. Primam quidem motus uniuersi causam, deum ipsum inuisibilem atque immobilem rectè quis putabit, eiusq; ue inuestigationem scientiam theologicā meritò nominabit, cuius operationē sursum circa sublimiora mudi esse ponet, omnino semotam à substantia sensibili. Quod uero materiale, & semper motam qualitatem inuestigat, circaq; album & calidū, dulce & molle, & huiusmodi uersatur, naturale utiq; appellabit, quod inter corruptibilia ut plurimum & sub orbe lunari inuenit. Id autē quod species motusq; locales qualitatis manifestat, figuram ac quantitatem tum discretam tum continuā, item locum & tempus & similia querit, mathematicum iuste appellabit. Quod uero inter duo prædicta locum habet, non solum quoniam & per sensum & absq; sensu percipi potest, sed etiam quoniam omnibus simpliciter entibus accidit, tum mortalibus, tū immortalibus. Nam illis quæ semper mutantur, communicatur secundum motum localem, æternis uero secundum

A 3 immo-